

29451 / 241226
660
CONSOLATIO

AD HISPANOS PROPTER
CLASSEM IN ANGLIAM PROFE-
CTAM SUBITA TEMPESTATE
submersam,

AUTORE JESUITA:

MELCHIORE DE LA CERDA,

PRIMARIO PROFESSORE HISPALI

Eloquentia

ANNO M. D. LXXXVIII.

His calamitosis temporibus lectu nec infrugi-
fera nec injucunda.



RECUSA

ANNO

M. DC. XXI.





M A G N O in dolore sumus & summo
quidē in mœrore Hispani fortissimi
ex classe in Angliam profecta, ante
prælium cum hoste commissum,
subita tempestate partim dissipata, partim
submersa, paucis navibus, ex his quæ solve-
rant: Ulyssipone salvis & incolumibus. Tan-
tam enim jacturam, tātum & tam delectum
Hispaniarum florem, tam fortes & invictos
duces, tam denique instructam & armatam
rebus omnibus classem amissam, dolere qui-
dem vehementer debemus. Classe enim sub-
mersa maximis & Illustrissimis orbata Princi-
pibus Hispania, non solum se afflictam, sed in
multum tempus amissam ac ^{rim}ditam putat.
Dolemus jure quidem optimo ac vehemen-
ter cruciamur, cum videamus tales viros, qui
ad fidem defendendam animati tantoperè
contendebant, talibus studiis & animis in-
censos, interiisse. nec verò adduci possumus,
nec ullo modo à nobis impetrari posse quea-
mus,

mus, ut versemur nos aliquo gaudio illis præ-
 fidiis & propugnaculis fortissimis ab Hispania
 nostra sublatis. E. & mihi faciendum, & singu-
 lari vestræ pietati consentaneum, ut medicinam
 expectandam quasi de cælo temporibus his-
 ce calamitosis allatam arbitremur. Difficilis
 est consolatio, cum mortiferum est vulnus,
 non facilis est medicina, cum desperata fuerit
 curatio. Sed ubi malum redundat consilium
 & virtus omnia moderatur, de quorum præ-
 stantia cum cogito facile ad dolorem lenien-
 dum adducor, atque ut omnes intelligatis me
 huic calamitati, tantum impertiri gravitatis,
 quantum gravissimis acerbissimisq; malis, &
 omnibus miserrimis casibus tribui videatur.
 Dico istius gravitate mali classem ornatissimam
 rebus omnibus, quæ in Angliam inflammato
 studio rapiiebatur, tempestate partim dissipa-
 tam partim submersam fuisse, fortesq; viros
 & invictos Lucæ vi ejusdem tempestatibus ob-
 rutos: eadem tempestate robur maximum
 nostrorum militum & incredibilem nobilif-
 simorum adolescentum partem, quæ primi
 belli stipendia faciebat, & rei militaris via ire
 constituerat, per jactationem multam vehe-
 mentissimamque periisse: Non paucas naves
 refer-

refertas plurimorum militum veteranorum, ab hostibus captas, atque aliquot, quæ se dedere recusarunt, vi tormentorum depresso, magnam copiam clarissimorum hominum, omne firmamentum classis atq; præsidium, ipsos Duces Alphonsum Levvam, & hujus alios similes non paucos, ejusdem maris turbulentissimi fluctibus periisse: paucos salvos & incolumes evasisse, atq; his triremium dissipatis armamentis omnibus, magis diurno beneficio, quam ulla navigandi scientia, in portum ejectos fuisse. Satis opinor hoc esse mali, atque ita reputo, ut hoc vos etiam intelligatis, an ullo istorum, qui classem amissam dolent, calamitatem nostram gravius amplificandam esse.

Requiretur fortasse, quemadmodum cum hæc ita sint, nostra jactura tolerabilis esse potest: Attendite Hispani non sine causa consolationem videbor instituisse, primum nihil factum putetis sine summa immortalis Dei providentia, qui novit causam utriusque partis, & nostram multo sane superiorem: quæ contra hæreseos fraudes fictasq; fallacias venit, venit contra injurias christianis, & nobis præcipuè Hispanis illatas, ad gentem Catho-

licam tristem ac mœstam erigēdam ad Chri-
 stianorum animos prostratos & jacentes sub-
 levandos, ad fidem ex illis regnis ejectam red-
 dendam restituendamq; contendebat. Atq;
 idem Dominus istius tantæ universitatis, ni-
 hil nisi summo consilio & bono suorum ad
 Cœli felicitatem sempiternam delectorum
 facit, sive cum illis adest & indulget, propter
 virtutem suam, sive poena afficit, propter im-
 proborum scelera ac flagitia Christianorum
 ut ex bonis & ex malis semper comparet su-
 is bonis cultoribus, commoda maxima,
 & quicquam boni filiis semper comparare
 velit ad utilitatem & emolumentum animo-
 rum: quæ pluris hominib. esse debent, quàm
 corpora quàm fortunæ fluxæ atque caducæ:
 Neque putamus cum nobis res prosperè ca-
 dunt, atq; flatu vehuntur, fortunæ secundæ,
 tum melius nobis esse, melius cum animis a-
 ctum esse, quorum in calamitatibus præci-
 pua semper ratio haberi debet: An vero quic-
 quam magis in vulgo jaçtari solet, quàm id,
 quod ex sacris Annalibus petitum est, qui fi-
 lios caros habuerint, in hos supplicia paren-
 tes maximè statuere, atque poenas de mortali-
 bus sumptas magno quidem argumento esse
 divinæ in homines eximiæq; caritatis. Si Deus

igitur immortalis, nostris rebus adest, si respicit de Cœlorum sedibus, præcipuo quodam amore ac singulari: cum poenam irrogat cum malorum invehit, cum re cariore nobisque quando judicarent homines utiliore magisque necessaria privat, & id tēporis, quod alienum à malis, beneficiis accipiendis opportunum videtur, si genere visus est, liberalissime magnificētissimeque, quid est, quod de tolerantia rerum aduersarum dubitemus? scilicet milites Jesu Christi fortissimi non afflicti, non incommodis maximis vexati, non fortunis bonis, vita & honore spoliati fuerunt? an Job oblivisci possumus, & alios divinæ majestatis amicissimos, qui in mediis calamitatibus, in suis ærumnis atque miseris, in fluctibus gravissimarum vehementissimarumque tempestatum magis erecti, magisque confirmati, videbantur, & ad carceres, vincula, & ad mortem & ad omnes Cruciatu intolerabiles læti alacresque properabant? Necesse quidem est, si veræ volumus esse Christianæ religionis alumni, & ad Christi Jesu mores similitudinēque sanctissimam deduci, nos discipulos & filios suos, Dominum eundem ingenti ligno crucis suis humeris imposito præeuntem sequi.

Quod

Quod si hæc à nobis considerata non fuissent, neque prævisa, tamen cum in Viris Clarissimis, etiam religionis expertibus hanc animorum patientiam, tolerantiamque laborum aspiceremus ad fortitudinem & constantiam ostendendam spiritus & animos maximos fumere debuissimus. An vero Socrates cum sententiis impiorum hominum damnatus esset, non æquissimo animo dixit, se mortem oppetere? neq; iudicibus supplex fuit, & adhibuit stabilitatem & magnitudinem animi constantissimam cum ipso vite supremo die de animorū immortalitate disputavit. Con fugiendi data facultate, fugere noluit, cum ad mortem porrexit letus & hilaris tamquam ad honores & ad Academiae gymnasia. Denique ut alios multos præteream, Regulus primo bello Punico missus Romam à pœnis retineri non poterat, à propinquis & amicis & ad supplicium redivit, & resectis oculorum palpebris illigatus in machina vigilando necabitur acerbissimè, & feret patienter constanterque mortis acerbicatem. Non ille derelictionem patrie, non orbitatem suorum, non spoliationem honoris, nō mortis crudelitatem timuit, nos Christiani divinis præceptis instituti San-
ctorum

etorum Exemplis docti, ipso Christo JESU
 duce præeunde, dolebimus, angemur, cruci-
 abimur? Non agamus jam generatim, sed
 speciatim de nostro casu quæramus. Cum in
 illa expeditione quæretur gloria Dei immor-
 talis, cum dignitas fidei Christianæ, cum tran-
 quillitas afflictorum in Anglia Catholicorū,
 cum recuperatio veteris status Reginae Mariæ
 felicissimi, cum sacrorum restitutio cum reli-
 gionis nostræ quæreretur defensio: minimū
 erat injurias à prædonibus factas, ulcisci vin-
 dicare latrocinia, prædas, insularem direptio-
 nes, purgare Maria omnia, & ab his nefariis
 prædonibus tutare reddere & libera, comprime-
 re sceleratos impetus, tanta audaciam & inso-
 lentiam frænare, qui domino præpotenti ter-
 rarum, Catholico Regi audebunt insultare,
 & ex angustiis ac latebris suis erumpere, & in
 nostras insulas invadere attentare. Portugal-
 liæ regnum, & in nostris oculis in Gadicano-
 rum conspectu, luceque volitare, Quid dicā,
 sollicitare regna aliena, concitari reges suæ se-
 ctæ teterrimos, & ad Immanissimum Turca-
 rum regē mittere literas, legatosq; suos contra
 Hispaniarum vires, atque Philippi potentiam
 formidandam. Parum erat nefarios piratas

B

occupa-

occupare, maria nostra infesta reddere suis navigiis, expectare nostras classes, si quam à cæteris disjunctam aut tardè navigantem, aut reliquis longo intervallo præeuntem viderēt in hanc invadere, multas eundem circumfistere, usque eo multitudine tormentorum opprimere, quo ad deprimerent aut caperēt, captam ingrederetur, & in omnibus bonis & mercibus apertissimè impudentissimèq; prædarentur. Nam ad manus pervenire, naves nostras oppugnare nisi magno numero prædones circumfistentes, ab omni parte, non audebant. In hac causa tã æqua tam justa, tot præsertim factis & illatis injuriis, an mori non æquum videbitur? non gloriosum & illustre erit & ad immortalis DEI gloriam & decus pertinebit? quid ergo dolebimus? quid suspirabimus? quid lamentabimur? quanto magis afficeremini si luctuosum Angliæ statum videritis si vestris animis, quando oculis non potestis, cerneretis, si primum Catholicos, qui sunt in Anglia, afflictos videretis, latitantes domibus, nunquam prodeuntes in publicum in agris in solitudine vagantes, ab urbium celebritate disjunctos, cum veniunt in urbes, tenebris atq; caligine mutata veste, in ha

in habitum peregrinorum aut militum aut mercatorum quibus nihil sollicitius neq; miserius videtur, veniunt, quod hostes illorum reditum odorari investigare sciant, suis ex latris extrahere, in custodiam tradere multis injuriis afficere in caliginosa & tenebrosa loca conjicere, vinculis constrictos, ferroq; oneratos christianæ fidei cultores veros. Quibus cibum introferre nec permittāt hæretici pauculum panis & atri neque sæpè sed cum collibitum fuerit, & jam morituros certò sciant, nisi quod detur ad retinendam animã, quam fame enectis vix trahere videntur in præcordiis propemorte conceptæ, sed quid ego Catholicorum miseras Anglorum commemoro? cum ejecta sit de suis finibus fides Christiana, nullum templum, nullæ aræ sint, neque sacrificia religionis, nullæ videantur sanctorū imagines, si quæ repertæ fuerint in angulos coniectæ, plenissimæ pulveris, plenissimæ fordium, pedibus conculcatæ sacrilegis, perditæ, attritæ, comminutæ, aliæ sine capite sine forma tanquam lapides parietibus adhærentes aut tanquam in ædificiorū ruinis, humi jacentes confusæ permistæ cum reliquis parietibus. Jacent humi plurima postrata tem-

pla, disiectis parietibus, Tectis everfis, & cum arcis coæquata: quo bajulorum, quo infirmorum multitudo confluit necessitatibus obtemperare volens.

Multa conversa sunt in popinas, fumo nidoreque redudantes generarum, multa in usus & habitationem hæreticorum mutata: quo geneones, cerdoneſque nequiſſimi ſua conciliabula ſua nefaria ſacra, ſuorum ſermonum virus peſtilentiſſimum, ad ſe cibo vinoque complendos ſtatis bibeſ inferunt: ita nullum rei divinæ ſacrificiū fit in Anglia, nullæ præces neque recitatæ neq; decantatæ exaudiuntur nullis perſonarū concionibus præconum divini verbi templa Catholicorum, ſed diſſonis & horrendis clamoribus hæreticorum confeſſiones ablatae de regno, ſublata ſacramenta: hoſtia abjecta conculcataq; ſanctiſſima Romano Pontifici nullum obſequium, nulla obſequentia, nullus deniq; divinæ Majeſtati tribuitur cultus.

Hæreſis erecta cervice, evaginato gladio mortem & crudelitatem ſpirans latiffimè dominatur, quo ſe convertant Catholici niſi ad Regem Catholicum habent neminem. Philippi auxilium imploraverunt, Philippi fidem
adhuc

adhuc testantur, & illam repetunt Regiam
 Majestatem quam primum, cum Mariam
 Reginam duxisset uxorum, restituit in An-
 gliam, satis hoc causæ esse videtur, cur non
 illi solum sed vos etiam vitam cum sanguine
 profuderitis, Sulpitius quid difficillimo
 Reip. tempore contra vim, gravitatemque
 morbi contendens, ut ad M. Antonii Castra
 pervenirent, in obeundæ legationis medita-
 tione nondum cum Antonio congressus, di-
 em suam obiit, qua re confecta præmio af-
 ficitur S. P. R. consentiente vos honore jam
 & gloria vestris hominibus in regione cœlorū
 debita præstitutaque, & ut conjicere pote-
 stis, pro suis in religionem animis jam perfo-
 luta, mœrorē & luctum non deponetis? Si pro
 patria felices quondam putabantur, qui accr-
 rime dimicantes occumbebant: quod de-
 cus satis illustre putandum est, atque iis de-
 bebatur, qui pro fide Christiana nihil maris il-
 lius immensitatē, nihil fluctus intumescens,
 timuerunt? An vero ignorare potuerunt pe-
 lagus illud periculosum multis mutationibus
 & ventorum varietati subiectum, in quo cum
 Cæsar in Angliam navigaret ea tempestas

fœda vehemensq; commota fuit, qua parum
 à morte legimus Imperatorem abfuisse, Quid
 hic Decios ad motis calcaribus equos incitan-
 tes & in medias acies irruentes, pro patria for-
 titer tanta nominis gloria cecidisse dicam?
 quid Curtios nobilissimos Romanos armis
 fulgentibus munitos pro salute patriæ in me-
 dium se terræ patentis hiatus dedisse præci-
 pites commendem, cum utriusque virtutis
 factum Reipubl. salutem, murorum Hispano-
 rum expeditio religionem Christianam at-
 tingeret, O fortunata mors, quæ naturæ debi-
 ta pro religione potissimum est reddita, in-
 prælio ipse Mars, ex acie fortissimum quemq;
 pignorare solet, Quid igitur miramini, si in
 medio mari, mors tot viros fortissimos, non-
 dum ad arma congressos præoccupaverit?
 quamquã, quid est, quod dico, nondum in
 prælio versantes, nostros fuisse præoccupato-
 tos morte non ignoramus. Jam ab illo tem-
 poris puncto, cum se dederunt in hostium
 conspectû & nostra claussis adversariam ex-
 pectabat, & illam nostri alacres in se queban-
 tur, appetebunt præliam, non deposcebant
 solum nisi continuisset illos Imperator, & ad
 suum tempus congressum reservasset. Est
 gloria

gloria quidem hujusmodi, quæ omnem lu-
 ctum debet abstergere, quid si utilitates ani-
 morum perceptas consideremus: desinamus
 lugere vitam ablatam, quod antiquorum e-
 rat, quod miserorum hominū est, quod im-
 proborum proprium, qui mortui ad infero-
 rum sedes pœnas flagitiorum suorum luent:
 nostri vero, qui in expeditione vim tempe-
 statis subierunt, cum à tempestate ad tran-
 quillitatem, à fluctibus ad quietem, à labori-
 bus ad præmia, ab hoc seculo ad cœlorū im-
 mortalem gloriam vocati fuerint, quid est,
 quod nobis angorem aliquem aut luctum af-
 ferant? qui tam sanctè comparati, qui maculis
 omnibus peccatorū elutis in difficilem hanc
 navigationem se dederunt, & ad mortem pro
 religione subeundam alacres natitabant pio-
 rum sedem & locum non consecuti fuisse
 consequuntur. Brevis futura quidem est vita
 quam acturi erant, atq; hæc non multos an-
 nos duratura, plena laborum, plena sollicitu-
 dinis, plena miseriarum futura. Cur non igitur
 actum præclarè cum illis, quibus brevis
 cum longitudine fortunæ humanæ cum mo-
 lestibus, fletus, cum gaudiis labores cum qui-
 ete, miseræ cum felicitate, spes cum immor-
 tali-

talibus præmiis vestri honores humani non
 coelestium sempiternis dignitatibus, vester a-
 spectus cum oculis & ore sempiterni numinis
 commutatus fuit. Abjecti quidem animi, &
 parum de immortalitate agitantis videtur es-
 se, gaudia felicitatemque nostrorum homi-
 num lacrimis & luctu præfenti quemq; vide-
 ri contaminare. Sed hæc ad illorum utilitatem
 pertinent, vestræ enim res aguntur Hispani,
 & utilitates non vulgares. Quibus de rebus
 cum agam, non salutem hic, quam fletu plu-
 rimo constat debilitari, viresq; infringi mor-
 talium pensandam intelligite. Nec enim ii esse
 debetis, si de illorum numero vultis, qui sapi-
 ant haberi, qui nos angoribus conficiatis, qui-
 bus multi malo suo cum se dedissent brevi
 confecerunt sese: Sed per Deum immorta-
 lem utilitates plurimas conspiciate vobis alla-
 tas. Quis est, qui nesciat, nos natura superbos
 esse, sæpe pares rebus uno flatu secundæ for-
 tunæ efferri nos plurimum & inani jactatione
 intumescere, neque scire modum neq; mo-
 derationem tenere. Quamobrem divino
 Consilio incidunt sæpe adversa tempora, qui-
 bus jactamur tāquam tempestate vehementi
 & parum abest, quin fluctibus intumescenti-
 bus

bus intumescantibus obruamur. Dat occasiones plurimas & præclaras Deus immortalis, quibus demittamus nos ipsos & abiciamus, suppliciter atq; demissè cœlestem opem implorantes, potestatem divini numinis dignitatemque celsissimam sitientes.

Quod igitur nostri classe munitissima mittebantur in Angliam, quod tantus flos & robur excesserat in Hispania, quod congressi victoria reportata fortasse non tãtam Deo gratiam relaturi essent, ante facinus susceptum, qua se munirent ad prælium positi in Christi Jesu gratia de medio ablati fuerunt. Quid, quod, cum victoria comparata, ad Hispaniarum Imperium adjunctam Angliam extulifsemus, fortasse superbiæ materiam præcidit Deus immortalis, qui nos vult esse summa demissione? Quid ergo nos tot ac talibus ducibus orbati faciemus? non desunt alii viri fortissimi, qui ducibus occisis cum successerint, nomen illorum & gloriam tuebuntur. Alia sunt tempora & expectantur, illa quidem opportuna hostium ulciscendorum, quin dilatione temporis vires augebuntur nostræ, exhaurientur adversariæ, qui cum nos quotannis classes parare delectus habere exercitus fa-

Cere

cere, audiunt, propter immensam ac propè
 interminatam Hispan. potentiam & fortium
 multitudinem diversitatemq; locorum, quo
 milites mittendi sunt, aut exercitus debeant,
 venire subsidio, cum ignorēt, semper in armis
 sunt, sumtus nunquam facere desistunt. Ma-
 gnum nomen Hispaniarum, magna dignitas,
 magnus honos; neq; ulla gens, non Anglorū
 dicam, quorum usq; adhac memoriam vires
 nunquam cum Hisp. conflixerunt, non Mau-
 rorum quorum gentem Hispani semper con-
 tēserunt & aspernati fuerunt, non Germano-
 rum, quorum felicitas multis præliis acerrimè
 cōmissis ab Hispanis fracta fuit, atq; cōpressa,
 non Indorum, quorum in disjunctissimas o-
 ras Hipsan. Imperia pervenerunt; Non deniq;
 Turcarum qui latissimè dominari videntur,
 quib. cum Hispani sæpe pedestres, equestresq;
 pugnas cōmiserunt, neq; defenderūt arces so-
 lum Christianorum, sed solvere obsidionem,
 movere castra, ac fugæ sese præcipiti mandare
 regem ipsum Turcarum coegerunt, sed præliis
 navalibus post hominum memoriam maxi-
 mis superarunt, partim captis, partim depres-
 sis navibus, paucissimis & his dissipatis, lacera-
 tisq; omnibus armamentis fuga plena dede-
 coris & infamiæ præter opinionem evaden-

tibus. Sed regum omnium potentia hominibus nostris & potentissimi Philippi viribus obistere profecto non potest. Non videtis, quantum invidia excitavit apud omnes gentes nomen Hispaniarum, quemadmodum in illum conspirasse videantur reges omnes ac principes terrarum, quod tantam regnorum molem, tantam Imperiorum potentiam, tam ad veterem Romanorum amplitudinem & culmen pervenientem ferre non posse videantur? Hæcine parva nobis videntur, aut non ejusmodi, quibus tuti esse possimus, & nos contra quascunq; gentes atq; nationes terrarum opponere. Quantopere aberratis, si classis emissæ malum maximum ducitis, cum graviora passi fuerint Lusitani in Africano bello. Cum viderint exercitum amissum flore Portugallensium partim confectum, partim captum ab hostibus. & suum regem & qualē regem, & quantum, omni virtutum genere florentem inter reliquorum cadavera permixtum, & jacentem ut intermisci non posset, neq; reperiri præ cadaverum incredibili cumulo caporum immensam latitudinem longitudinemq; cooperientium. Quid quod minime nunc primum classem hanc emisit, Hispania amisit illas classes, aliis temporibus foeda tempe-

state jactatas. Amisit classem illis temporibus,
 cum Carolus Imper. invictissimus Argelium
 trajiciebat amifimus sæpè naves ex Indiis re-
 deuntès, aut in utramq; Indiam navigantes, &
 jam quidem consuetudine navium amitten-
 darum omnem sensum doloris amittere de-
 buissemus. Quod si aut consuetudo, aut ja-
 ctura facta aliis temporibus nostros animos
 non premunisset, & contra injuriam omnem
 tempestatemq; turbulentissimorum tempo-
 rum instruxisset, tamen cum Hispaniarum re-
 gna jam sua mole quodammodo laborare vi-
 deantur, quin in maximis lateque patentibus
 imperiis faciendæ jacturæ sint aliquot, per-
 suasum nobis habere debemus, quos modo
 tumultuari quos oblatrare videtis Hispaniæ,
 quos uni & alteri Insule minitari direptionem
 interturbare partes à nobis disjunctissimas
 contemnite hos Hispani: qui nihil equidem
 ausi fuissent, si sua regna finibus exiguis, non
 continerent sese, & eadem cõtinuata conjun-
 ctaque non essent ex omni parte: ut uno penè
 temporis puncto ad defendendum quem-
 cunque locum confluere possint, in finibus
 suis angustissimisque limitibus manentes. A
 Philippo rege prudentiam petite, discite sape-
 re, vos

re, vos oro atque obsecro. Cui cum principes pro veteri more misissent legatos ad dolorem ex amissa classe ostendendum, post mutua regiae munditiæ & elegantiae efficacius consuetata post gratias actas iustas ac debitas, eorum cuidam illi respondisse scimus, quod ad classem amissam attineret, nihil sua referre, rem id incommodi habere, quod annus ad alteram classem comparandam fuisset expectandus: atque in istud tempus differetur in Angliam reditus Hispanorum. O vocem magnificam atque liberalem, ô verè regiam & excelsam, ô dignam cum regibus, tum potentissimo Hispaniarum Philippo rege, sic visus est Rex Catholicus sese habere cum his hostibus ut vir fortis cum catello, qui cum latret semper & oblatrandi prætereuntibus finem non faciat, nō metuit latratus aut verbo aut manu fugat & deterret aliquando fessus jam in illum impetum nolens facere, cū fustim quā habebat sustulisset, intentam ad conficiendum antequam ictum infigeret catellus fugit & ex conspectu sese subduxit, in quem si ictus fuisset infixus, die procul dubio non latraret iterum: Ita cum prædones isti navib. aliquot prædandi cupidissimi toties nostros laceffant, & insulis

& portubus Hispaniarum imminere non de-
 finant & insultare ad illos hostes cōprimen-
 dos, classem armavit quam si appellaret in An-
 gliam actum de Anglis procul dubio fuisset,
 sed vim illius & incitatos impetus, antequam
 in Angliam fierent, fluctus concitatae tēpesta-
 tis fregerunt. Quis consilia Domini recondita
 consequetur? sed frangentur aliquando furo-
 res hæreticorum & Catholicos Anglos & no-
 stros Hispanos respiciet suo tēpore Deus im-
 mortalis: Ætas succedit ætati, & iidem sunt
 qui fuerunt id temporis Hispaniarum reges,
 redibunt ad ulciscendas nostris hominibus il-
 latas injurias, redibunt ad Catholicos princi-
 pes, ad Christianos Anglos, ad homines tem-
 porum iniquitate depulsos, in patriam redu-
 cēdos, redibunt ad perditum Angliæ statum,
 in veterem dignitatem restituendum, redi-
 bunt denique ad ejectam & exterminatam
 fidem Catholicam in suas sedes & regnarevo-
 candam. Vos erigite & confirmate vestros
 animos, & a luctu & mœrore avocate, robo-
 re ac præsidio invictæ fortitudinis corrobo-
 rate, quid causa honestatis, quid animorum
 utilitas postulat considerate, quam facili re-
 cuperatu sint, quæ amissimus, & quæ expectā-
 tur,

tur, ulciscendi tempora legitima, ne obli-
 scamini. Quam necessitatem afferat moles
 Imperiorum, quam multa graviora gentes a-
 lia perpesse fuerint, cogitate, neque nobis ge-
 nus istud mali nunc primum inauditum. De-
 niq; quod ex magnanimitate Philippi debeat
 exemplum petere, vestris animis comple-
 ctimini. Cum in rege nostro, tum præcipuè
 in causa fidei in summo prepotentique cœlo-
 rum opicis vestras spes collocate, futurum e-
 quidem spero, ut horum memoria repetita,
 luctum omnem & animi dolorem leniatis,
 & in posterum contra omnes fortunæ toni-
 trus, & contra fluminum ictus terrificos ma-
 gnos animos & invictos geratis in posterum.
 De clarissimis Viris, quos in classe amisimus,
 quoties cogitabimus, toties de sua fortitudi-
 ne, toties de virtute Hispaniarum, toties de
 præmiis consecutis, toties de religionis stu-
 dio de nostrorum ad Christianam fidem de-
 fendendam ardore, toties de gloria Dei im-
 mortalis, pro qua tutanda in maris vastissimi
 concitatisque vehementissimas tempestates se
 conjecerunt, cogitate; Denique precemur
 supplices Deum immortalem, ut nos, qui hoc
 genere fortissimorum virorū nati sumus vir-
 tutem

tutem tantorum Ducum retineamus, & ad
honorem & ad gloriam divinæ Majestatis de-
fendendam in hac terrarum sede divino ro-
bore & auxilio muniti, vires omnes ner-
vosq; contendamus.



F I N I S.

